

Forfatter: Worm, Jacob

Titel: . - [1968]

Citation: Worm, Jacob: ". - [1968]", i Worm, Jacob: . - [1968], udg. af ERIK SØNDERHOLM , [1968]-1994, s. 74. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-worm01val-shoot-idm140677735074656/facsimile.pdf> (tilgået 25. april 2024)

Anvendt udgave: . - [1968]

## 269 ELEGIA ECCLESIARUM CHRISTIANARUM

- 1 Luge sacratissima Jesu Ecclesia, et maestos mecum decanta  
 elegos; luge et lamentare; luge extinctos veritatis Soles!  
 3 lamentare exorientem vanitatis Planetam; luge tumultum  
 defunctorum Patrum, et retro luctuosa respice contumu-  
 6 latos divorum corporum cineres; lamentare Adolescentem  
 furibundum, Patrem praecocem, pomis praecocibus Judaeae,  
 quae compressa in fumum abeunt et vaporem, simillimum.  
 Quippe qui videri avertit Pater Ecclesiae, cum vix ejus factus  
 9 sit filius; luge sanctissimos Pontifices emortuos; lamentare  
 Papalem pullum, et Episcopalem catulum, Ecclesiae non  
 praefectum, sed violenter et fraudulenter obrusum. Luge  
 12 avolantes Aquilas, Cygnos, Olores, et Alaudas; lamentare  
 advolantem et pipicentem Fringillam, atque Anserculum  
 inter Olores grahitantem; non Pastorem, sed Pistorem, et  
 15 Impostorem futilem ac fulminantem, atque majora, quam  
 capit, spirantem. Luge Pastores gregis sacri in sacro opere  
 fervidos. Lamentare tepidum Laodicensium Angelum, qui  
 18 non Svecus, non Danus, non Scanus, sed ex tribus his  
 confusus et mixtus in unum coaluit monstrum Chimericum,  
 Cerbericum. Natus sub sceptro Danorum, et sub eodem  
 21 altus atque educatus, in castra depositurus cornua transiit  
 Sveciae, mox et statim caelum, solum et salum mutans, sed  
 non mutans animum, polum repetiit Danorum, ut vesper-  
 24 tilio a suis / avolans transfuga. Heic ornatus laurea  
 donatus privilegiis, et enutritus munificentia, auctus sti-  
 pendio, terras invisit exteras. Reversus adoravit Svecorum  
 27 venerabundus sceptrum. Designatus Ostiarius ordinis  
 Professorii haud ordinarius. Inde iterum, Jurjurando  
 violato, faciens μεταβασιον εις άλλο γένος, et canens pali-  
 30 nodiam, Danorum oras ingressus est, relicto liminari  
 puncto Professorio. Atque heic (proh Dei, ac bonorum om-  
 nium fidem) adminiculante et obstetricante Vulva Vinaria